

## Jordan of Quedlinburg OESA

Elizabeth sermo<sup>1</sup>

*Mulier graciosa inveniet gloriam*, Prov. XI (16). In verbis istis beata Elizabeth commendatur a tribus:

<1> primo a virtuali fecunditate, ibi *mulier*;

<2> secundo divine gracie copiositate, ibi *graciosa*;

<3> tercio a celestis glorie immensitate, ibi *inveniet gloriam*.

<1> Primo [commendatur] a virtuali fecunditate, quia multarum fecunda virtutum [fuit], quod innuitur in eo, quod dicitur: *mulier*. Mulier enim [dicitur nubilis] viro, et significat animam fidelem, que viro Christo spiritualiter maritatur; Ecc. 16 (26, 1): *mulieris bone, beatus vir*, id est Christus, qui est beatus vir et maritus anime bone et sancte, secundum glosam; mundani copulant sibi mulieres, aliquando propter divicias, aliquando propter pulchritudinem corporalem, aliquando propter generis nobilitatem. Christus autem nichil horum respicit, solum anime bonitatem et virtualement fecunditatem; Ecc. 26 (3): *mulier bona dabitur viro*; glosa: id est pro bonis factis. Debet autem fidelis anima libenter maritari Christo propter tria.

<1.1> Primo quia Christus eius consortium ardentem amat et desiderat; Ecc. 26 (24): *species mulieris {332va} exhilarat faciem viri*; id est Christi, et super omnem concupiscenciam superducet desiderium, quod notanter dicit: non est enim ita insanus amator mulieris, qui pro ea habenda faceret, quod fecit Christus pro anima hominis acquirenda. Nam primo pro ea habenda extremam paupertatem duxit; secundo amicos suos, id est sanctos apostolos et alios sanctos, morti exposuit; tercio in semetipso turpissimam mortem sustinuit. Quis est homo, qui hec pro muliere faceret? Unde bene dicit glosa, quod nulla concupiscencia hominis desiderio Christi potest comparari, et ideo dicitur amor eius nimius, Ephe. (2, 4-5): *propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos Deus, cum essemus mortui peccatis etc.*

<1.2> Secundo anima debet libenter maritari Christo, quia ipse eam laudat, Prov. ult. (31, 30): *mulier timens Deum ipsa laudabitur*, scilicet a viro suo Christo, unde dicitur ibidem (31, 28):

---

<sup>1</sup> Base ms.: A1 = Admont, StB, ms. 193, ff. 332rb-334va. Collated mss.: M1 = München, SB, Clm 8353, ff. 268ra-270rb; M2 = München, SB, Clm 28208, ff. 117va-120rb.

*vir eius laudavit eam*; glosa: illa scilicet laude, quando dicet in iudicio: *venite benedicti Patris mei* (Mt. 25, 34) etc. Solent autem mulieres laudari precipue de duobus, que spiritualiter debent esse in anima, sponsa Christi, scilicet de pulchritudine et de probitate. Pulchritudo, autem, que Deo placet, non consistit exterius in ornatu vestitum vel nitore faciei, sed interius in plenitudine virtutum; Can. 1 (4): *nigra sum sed formosa*; nigra quantum exterius, per penitenciam mortificata, sed formosa interius castitate et caritate ac ceteris virtutibus ornata; ideo *dilexit me rex*.<sup>2</sup> Item oportet, quod habeat probitatem et bonitatem vite. Pulchritudo autem corporis modico frigore {332vb} vel infirmitate perditur: Iaco 1 (11): *exortus est sol cum ardore et arefecit fenum et flos eius cecidit et decor vultus eius deperit*. Non sic de bonitate, que potius adversa sustinentibus augmentatur, si tamen cum paciencia sustineant, Ps. (4, 2): *in tribulacione dilatasti me*. Unde Gregorius, 26. Mor.: electorum desideria dum premuntur, adversitate proficiunt, sicut ignis flatu [premuntur] ut crescat; unde quasi extingui cernitur, roboratur.<sup>3</sup> Exemplum de filiis israel, qui quanto magis opprimebantur, tanto magis crescebant.

<1.3> Tercio anima libenter debet maritali Christo, quia ipse eam fecundat fructibus, scilicet donorum et virtutum et bonorum operum, sicut illi felices, de quibus dicitur in Ps. (106, 37): *fecerunt fructum nativitatis*; hic est fructus bonorum operum, secundum glosam, ad quem homo aptus natus est ex gracia Dei. Talis mulier fuit beata Elizabeth, que post mortem viri sui, sprete omni pompa mundi, soli Christo maritali fuit, ac per hoc ab ipso amata, laudata et fecundata fuit; declara ex legenda. Et quia tante sanctitatis fuit mulier ista, ideo omnes fiducialiter clamare debemus ad eam, dicentes illud Iud. 8 (29): *ora pro nobis [quoniam] mulier sancta es*.

<2> Secundo hec sancta mulier commendatur a divine graciae copiositate cum dicitur: *graciosa*; cuius graciositas apparuit in multis: primo in voluntaria paupertate, secundo in pauperum Christi cura et hospitalitate, tercio in pudorosa castitate, quarto in prudencie ingeniositate, {333ra} quinto in vite austeritate, sexto in fortitudine et paciencie equanimitate.

<2.1> Primo dico, quod graciositas beate Elizabeth apparuit in voluntaria paupertate, attendens enim illud, Mt. 5 (3): *Beati pauperes spiritu* etc., ut ipsa mereretur fieri beata in

<sup>2</sup> Antiphon based on the the Song of Songs (CAO, no. 3878): “Nigra sum, sed formosa, filiae Hierusalem: ideo dilexit me Rex, et introduxit me in cubiculum suum”.

<sup>3</sup> GREGORY THE GREAT, *Moralia in Iob*, XXVI, 14, ed. M. ADRIAEN (CCSL, 143B).

celo, pauper voluit esse in mundo. Unde ipsa post obitum mariti, Christo desponsata, cuncta, que matrimonii iure habere poterat, apostolorum more nichil sibi retinens, largissime reddidit bonorum omnium largitori,<sup>4</sup> ita quod uno die, ut legitur, quingentas marcas pauperibus distribuit, ut sic cum pauperibus pauper existeret.<sup>5</sup> Unde sibi congrue adaptari potest illud Ps. (111, 9): *dispersit dedit pauperibus*.

<2.2.> Secundo eius graciositas apparuit in pauperum cura et hospitalitate. Non enim fuit contenta substanciam suam pauperibus impendere, nisi eciam se ipsam eis corporaliter servicio applicaret. Unde pauperum hospitale construxit, et in eo nudos, infirmos, cecos, claudos, et quoscumque peregrinos alacriter suscepit, et cuilibet iuxta facultatem rerum et sue exigencie necessitatem, prout decuit, ministravit,<sup>6</sup> observans misericorditer illud Thob. 4 (7): *noli avertere faciem tuam ab ullo paupere*. Sed quia, prohdolor, multi sunt, qui non solum faciem a pauperibus per incompassionem avertunt, sed eciam eos verbis obprobriosis lacescunt, huius liberalitatis signum nobis Christus in se ipso ostendit, quando manus suas in cruce sibi perforari fecit, et nobis thesaurum pietatis clementissime effudit.

<2.3> Tercio eius graciositas apparuit in pudorosa castitate. Et hic {332rb} pudor valet ad peccatum detestandum, ad gratiam habitam conservandam. Istum autem pudorem debet habere homo in tribus sensibus.

<2.3.1> Primo in visu, ut oculos ab omni vanitate avertat, et precipue ab illis, que animam per impudiciciam maculare possunt, quia secundum Augustinum: impudicus oculus<sup>7</sup> etc.; ymo impudicus oculus est, quandoque pudici cordis [maculativus], et ideo rogabat Ps. (118, 37): *averte oculos meos ne videant vanitatem*.

<2.3.2> Secundo in auditu, ut abhorreat audire inmunda et anime nociva; Ysidorus: sermo vanus cito polluit mentem, et facile agitur quod libenter auditur.<sup>8</sup> Unde quod per verecundiam respuitur, facile declinatur.

<2.3.3> Tercio in sermone, ut non loquatur verba turpia vel inmunda, unde monet Ieronimus: Numquam de mulierum formis disputes.<sup>9</sup> Qui enim verba turpia cavet et maxime carnalia,

---

<sup>4</sup> *Vita inc. "Beata Elisabeth tam progenie quam moribus nobilissima"* (not registered in the BHL); in L. LEMMENS, ed. *Zur Biographie der heiligen Elisabeth, Landgräfin von Thüringen*, in *Mittheilungen des Historischen Vereins der Diözese Fulda*, 4 (1901), pp. 1-24, on pp. 22-24, lectio prima, p. 22.

<sup>5</sup> HUYSKENS, *Libellus* cit., p. 44, ll. 1199-1201.

<sup>6</sup> *Vita inc. «Beata Elisabeth tam progenie, quam moribus nobilissima»*, lectio prima, in LEMMENS, *Zur Biographie* cit., p. 22.

<sup>7</sup> AUGUSTINE, *Regula ad servos Dei*, §. 6, PL, vol. 32, col. 1381, or ID., *Epistulae*, no. 211, §. 10, PL, vol. 33, col. 961.

<sup>8</sup> ISIDORE OF SEVILLE, *Synonyma de lamentatione animae peccatricis*, II, 45, PL, vol. 83, col. 856A.

facile [ipse] peccatum carnis declinat. Et quia hec sancta Elyzabeth verecundiam habuit in omnibus sermonibus, ideo ab omni peccato se facilius custodivit. Interim enim cor eius in amore divino inflammatum erat, quod omnes mundi vanitates et carnis delicias quasi stercus putridum reputabat, dicens cum apostolo (Phil 3, 8): *omnia arbitratus sum ut stercora, ut Christum lucrifaciam*.<sup>10</sup>

<2.4> Quarto eius graciositas apparuit in prudentia et ingeniositate. Fuit enim prudens ad melius eligendum. Possumus enim prudentiam cognoscere in eius eleccione. Ille enim prudens est, qui malum respuit et bonum eligit; ille prudencior, qui inter duo bona melius scit eligere; sed ille prudentissimus, {333va} qui optimum eligere sciret.

<2.4.1> Hec igitur sancta prudens fuit, que servire Deo elegit, et dyaboli servitatem contempsit.

<2.4.2> Secundo prudencior eligendo adhuc melius. Nam ipsa elegit Domino servire in viduitate, quod melius est, quam sibi servire in statu coniugali, et hoc ostendit Dominus in Mt. 13 (8), ubi dicit: *semen cecidit in terram bonam, et attulit fructum tricesimum, aliud sexagesimum, aliud centesimum*;<sup>11</sup> fructus tricesimus convenit coniugatis, sexagesimus, viduis. Nullum autem dubium, quin sexagesimus plus valeant quam tricesimus.

<2.4.3> Tercio fuit prudentissima eligendo optimum et perfectum, scilicet mundum contempnere et omnia relinquere propter Deum; Mt 19 (21): *si vis perfectus esse etc.* Unde ipsa bene figurata est in Abigaill, de qua dicitur, I. Reg. (25, 3), quod *erat mulier prudentissima*, quam rex David duxit in uxorem, sic Christus Elisabeth.

<2.5> Quinto eius graciositas apparuit in vite austeritate. Attendebat quippe illud apostoli, I. Cor (9, 27): *castigo corpus meum, et in servitatem redigo*. Et vere sancta Elyzabeth castigabat suum corpus, ut spiritui obediret, ut esset eo propncior ad serviendum Deo, scilicet vigiliis, ieiuniis, virgarum cesionibus, et multis talibus, prout legenda sua ostendit.

<2.6> Sexto eius graciositas apparuit in fortitudine et paciencie equanimitate. Nam bellavit fortiter contra carnem propriam, ipsam spiritui subiugando; contra malos homines, eorum iniurias equanimiter tollerando ; contra dyabolum, eius temptacionibus fortiter resistendo.

---

<sup>9</sup> JEROME, *Epistulae*, 52, 15, ed. I. HILBERG (CSEL, 54-56); cf. PSEUDO-ISIDORE OF SEVILLE, *Testimonia diuinae scripturae (et patrum)*, 8, 13, ed. A. LEHNER (CCSL, 108D).

<sup>10</sup> Vulg.: “omnia detrimentum feci et arbitror ut stercora ut Christum lucri faciam”.

<sup>11</sup> Vulg.: “Alia autem ceciderunt in terram bonam, et dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum”.

Unde Prov. ult. (10): *mulierem fortem* {333vb} *quis inveniet*; quasi diceret: rarum est valde, ut tam fortis mulier inveniatur, que talibus hostibus possit resistere, ut non peccet. Pugnemus et nos exemplo huius mulieris, quia nemo *coronabitur nisi qui legitime certaverit* (II. Tim. 2, 5). Possumus autem dicere, quod fortitudo istius mulieris consistebat in tribus,<sup>12</sup> scilicet in forti temptacionum reluctacione, in continuo proficiendi desiderio sine interrupcione et in fervida bonorum operum exercitacione.

<2.6.1> De primo sciendum quod ipsi homines boni proficientes precipue sustinent triplices temptaciones. Et primo vagarum cogitacionum, quibus [eis] adversarius peccata preterita ad memoriam reducit. Secundo titillacionem inordinati amoris, quia hostis antiquus per nichil aliud potest impedire plus progressum virtutis, quam per inmissionem inordinati amoris. Tercio paciuntur diffidenciam virtuose continuacionis, quia timent, quod rigore incepto perseverare non possint. Et hiis tribus temptacionibus restitit beata Elizabeth vigoroze. Nam ipsa presenciam divinam iugiter concupivit, unde iactavit cogitatum suum in Domino, et mens eius amore divino succensa fuit, et iugem perseverenciam in bono virtutis tenuit. Unde bene figurata est per ipsam Iudith, que sicut legitur Iudith 4 (10, 3): *Nam discriminavit crinem capitis sui, et posuit mittram super caput suum*, et accepit monile in pectore, *et anulos* in digitis suis.<sup>13</sup> Per mittram enim intelligitur animi stabilitas, qua vage cogitaciones prohibentur, {334ra} sicut pili per mittram constringuntur; per monile, quod pectus ornat sponse, ne amor adulterinus subintret, intelligitur divini amoris sinceritas; per anulum, qui portatur, ut fidei constancia sponse servetur, designatur fiducia et mentis robur in bono incepto perseverandi.

<2.6.2> Secundo fortitudo spiritualis in hoc attenditur, quod homo fervido conatu semper ad meliora nitatur, nichil reputans ea, que iam habuit, respectu eorum, que habenda sibi necessaria novit, exemplo apostoli, qui dicit (Phil 3,13): *que retro sunt obliviscens, ad ea que anteriora sunt, me extendens*.<sup>14</sup> Unde dicit Cass.: ibi bonus incidit deficiendi periculum, ubi proficiendi deponit appetitum.<sup>15</sup> Ideo dicit Augustinus: summa perfeccio christiane religionis est, ut quantumcumque homo in hac vita proficiat, sibi semper putet superesse quod querat.<sup>16</sup> Hoc autem fervidum proficiendi desiderium habuit beata Elizabeth, et ideo bene figurata est

---

<sup>12</sup> From this point onwards until the end of §. 2.6.3 the text is based on Henry of Friemar, 2nd sermon on St. Elizabeth cf. GECSER, *The Feast and the Pulpit* cit., pp. 248-249.

<sup>13</sup> Vulg.: “Discriminavit crinem capitis sui et inposuit mitram super caput suum et induit se vestimentis jucunditatis suae induitque sandalia pedibus suis adsumpsitque dextraliola et lilia et inares et anulos et omnibus ornamentis suis ornavit se”.

<sup>14</sup> Vulg.: “quae quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quae sunt priora, extendens meipsum” (Vulg. Stuttg.: “...que sunt in priora extendens me”).

<sup>15</sup> LEO MAGNUS, *Tractatus septem et nonaginta*, tract. 40, PL, vol. 54, c. 268B. The abbreviated name of the author may refer to either Cassiodorus or Cassianus but as both would be wrong attributions, I left it unexpanded.

<sup>16</sup> *Ibid.*, tract. 29, PL, vol. 54, col. 226C.

per Iudith, que cum iret ad Holofernem suis sandaliis ornata fuit. Sandalia, que sunt inferius clausa ne pes terram contingat, superius aperta, significant affectum proficientis, qui debet esse inferius clausus ne attendat ad ea, que boni gessit, sed apertus superius quantum ad proficiendi desiderium. Et de tali progressu virtuali scribitur Can. 7 (1): *quam pulchri sunt gressus tui in calciamentis filia principis*. Filia principis est anima divina ymagine insignita, cuius gressus in progressu virtutis sunt pulchri et divinis oculis grati, et dicuntur fieri in calciamentis, {334r} id est in affectibus decore virtutum ornatis.

<2.6.3> Tercio fortitudo spiritualis attenditur in fervida bonorum operum exercitacione. Non enim sufficit homini solum habere proficiendi desiderium, nisi cum hoc habeat operis exercitacionem virtuosam; sed hoc exercitacionem non est uniforme sed variatur secundum varios status et condiciones hominum, et secundum varietatem donorum, que quis a Deo recepit. Nam ille, qui accepit a Deo quinque talenta, id est quinque dona gratuita, tenetur se exercitare in omnibus, et de ipsis donis et de eorum lucro tenetur reddere rationem, ad quod non tenetur ille, qui solum duo vel tria talenta recepit. Unde dicit Gregorius: cum enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum.<sup>17</sup> Ex quo patet, quod [si] ille, qui acceperat quinque talenta, fuisset solum superlucratus tria, hoc sibi non sufficeret ad salutem, sicut illi sufficit, qui tria talenta recepit, si alia tria superlucratus sit, ut patet Mt. 15 (25, 14-30). Tale autem exercitacionem virtuosam habuit beata Elizabeth, que omni tempore se in virtutum actibus [exercebat]; in tantum enim in operibus misericordie erga pauperes et infirmos se exercebat, ut non [hospita, sed] mater omnium adveniencium diceretur.<sup>18</sup> Nullum enim infirmum vel morbosum abhorrebat, ut etiam leprosis, contractis, quos nec infirmi, nec ancille domus respicere poterant, ceteris plurimum admirantibus, pedes et capita ablueret, ymo cicatrices vulnerum et scabiem mente devotissima tergeret et palparet.<sup>19</sup> Unde ipsa velud Martha, {334va} circa plurima occupata, unumquodque pro posse domus caritative pertractabat.<sup>20</sup> Nec propter hoc ab actibus contemplativis, scilicet oracionis et devocionis et erudicionis se elongabat, ut in ea verificetur illud, quod de [muliere] forti dicitur Prov. 31 (13): *quesivit lanam et linum et operata est consilio manuum suarum*. Nam hec fortis mulier Elisabeth *quesivit lanam et linum*, id est exercuit accionem et contemplacionem, *et operata est consilio manuum suarum*, nunc quidem manus dextre in contemplacione, nunc vero sinistre in accione, propter quod eam Dominus miraculis exornavit.

---

<sup>17</sup> GREGORY THE GREAT, *Homiliarum XL in Evangelia libri duo*, I, 9, 1, PL, vol. 76, col. 1106A.

<sup>18</sup> *Vita inc. "Beata Elisabeth tam progenie quam moribus nobilissima"*, lectio tertia, in LEMMENS, *Zur Biographie* cit., p. 22.

<sup>19</sup> *Ibid.*, lectio secunda, in LEMMENS, *Zur Biographie* cit., p. 22.

<sup>20</sup> *Ibid.*, lectio tertia, in LEMMENS, *Zur Biographie*, p. 22.

<3>Tercio hec mulier gloriosa commendatur a celestis glorie immensitate, cum dicitur *inveniet gloriam*. Quia enim tantam gratiam habuit in presenti, ut gloriosa diceretur, ideo merito magnam *inveniet gloriam* in celis, ut recte gloriosa nuncupetur. Cuius glorie nos participes faciat etc.